

## LXXXIV. VII. 90

849. Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 172. 8. per duas columnas minute sed nitide exaratus, rubricisque distinctus, praemisso rerum memorabilium indice continet *Commentaria* moralia in *Psalterium* potissimum e Patribus lecta, quorum initium: *Beatus uir &c. Sciendum quod intencio psalmorum est facere homines virtuosos. Quia igitur iste psalmus titulus est aliorum propter hoc in isto tangit virtutes inter quas prima est beatitudo et ideo primo de ea loquitur deo &c.* Ad IV. porro Virtutes, quas *Cardinales* vocant, sua reducit Autor ita, ut ab initio usque ad *Psalum XXXVI. Iustitia*, inde usque ad *Pf. LXX. Fortitudo*, deinceps usque ad *Pf. CVIII. Prudentia*, demum usque ad finem *Temperantia* summae foliorum orae minio fit adscripta. Verum extrema defunt; deficit enim interpretatio in *Pf. CXLIX. v. 2. verbis Gregorii: Homo per exteriorem uerecundiam interiorum ingrauat culpam. ut dicat illud Jer. III. frons meretricis facta est tibi.* Autorem Gallum fuisse suspicor, cum ex iis fol. 99. p. 2. *Mare non excipit personam. sic infernus ita deuorabit regem sicut uilissimum garcionem;* tum e citata in margine fol. 98. p. 2. *Summa cancellarij.* Quo loco tamen intelligi vix poterit ob aetatem Codicis *Johannes Gerson*, sed aut *Petrus de Alliaco*, aut alius quis eo in munere Antecessorum veniet. Eruditionis etiam profanae non

exortem fuisse Nostrum *Ovidius* plus vice simplici adductus probat. Patrum citatorum Nomina posterior manus marginibus adlevit.

## LXXXV. VII. 2. 8.

Codex chartaceus lat. Sec. 246 XV. Folior. 359. f. per duas columnas bene exaratus continet: I. *Commentarium in Psalmos Davidicos* absque Autoris indicio, quem tamen inuenio *Ludolphum* s. *Leutholfum de Saxonia*, qui Sec. XIV. ab Ordine Praedicat. ad Carthufianos transiit, ut habes in *Scriptt. O. P. T. I. p. 568.* et in *Theod. Petreji Bibl. Carth. p. 233.* Prologi initium est: *Sicut olim manna habuit delectamentum &c.* Sed praefigitur locus *Jobi. c. 26. Spiritus eius ornavit celos &c.* quem tardius additum fuisse putem. Interpretatio *Psalmi I.* sic incipit: *Autor huius psalmi proprie ignoratur &c.* Sententia ut plurimum *Hieronymi, Augustini, Cassiodori* et *P. Lombardi* sententiis insistit. Singulis *Psalms* subiecta est, ut jam in pluribus Bibliorum Codd. vidimus, pia precatio, quas junctim legere est inter *Georgii Caspandri Opera.* *Psalmi ult.* interpretatio finit: *acutum sonum reddunt, qui etiam tymnitus dicitur, quam excipit precatio: Armonie nostre suavissimum melos &c.* Atque hic in editione saltem *Veneta 1521. f.* quam ex pluribus a *Fabricio* in *Bibl. med. et inf. lat. L. II.* relatis ante me habeo, explicat *Ludolphi* opus, sed in *Cod. nostro* sequitur